

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2022-2023
À rendre avant le mardi 27 septembre (en main propre ou casier au DSA)

Version latine n°2 : la mort de Sénèque

[...] complectitur uxorem, et paululum aduersus¹ praesentem fortitudinem mellitus, rogat oratque temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione uitae per uirtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseuerat manumque percussoris exposcit. Tum Seneca, gloriae eius non aduersus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, « Vitae, inquit, delenimenta monstraueram tibi, tu mortis decus mauis ; non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine. » Post quae, eodem ictu brachia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco uictu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum uenas abrumpit ; saeuisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxorius infringiceret atque ipse, uisendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere.

[...] interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat prouisum pridem uenenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret ; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore aduersum uim ueneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos seruorum, addita uoce libare se liquorem illum Ioui Liberatori. Exim, balneo inlatus et uapore eius examinatus, sine ullo funeris sollemni crematur ; ita codicillis praescripserat, cum, etiam tum praedie et praepotens, supremis suis consuleret.

Tacite

¹ Ici, « malgré, en dépit de ».